

semper conceditur primatus divinæ gratiæ, et usus liberi arbitrii subicitur illi, neque aliquid valere censetur, nisi quatenus in ipsa gratia nititur, et ab illa dignitatem et valorem recipit; unde nihil est in tota hac responsione quod tanquam periculosum in fide damnari possit. Deinde multa sunt in hac responsione maxime probanda, nimirum quod Deus cum certa præscientia futuri effectus det homini vocationem accommodatam, nam hoc pertinet ad perfectionem divinæ gratiæ et providentiæ, alioqui quasi fortuitum esset respectu Dei quod uni daretur vocatio, quæ habitura est effectum, et non alteri, quod nec dici nec cogitari potest; et huic etiam consentaneum est quod Deus ex sola sua voluntate uni conferat hanc vocationem, et non alteri, et consequenter quod illi conferat majorem misericordiam et benevolentiam. Nihilominus hæc responsio, quoad alia quæ involvit, necessaria non est, nec consentanea Augustino, et ideo quoad illa nobis non est probanda. Unum est quod electio prædestinatorum ad gloriam non præcedat ordine rationis absolutam præscientiam boni usus liberi arbitrii; aliud est quod absolutum decretum seu prædefinitio actus liberi, aut sanctificationis, vel remissionis non præcedat similiter ordine rationis ante præscientiam boni usus liberi arbitrii ex gratia; nam ut hæc electio, prædefinitio aut decretum per modum efficacis intentionis antecedit, non est necessarium ut executioni mandetur per physicam prædeterminationem præviam, nam per solam vocationem congruam id sufficienter fieri potest. Neque etiam inde sequitur quod ipsamet voluntas prædefinitiva per seipsam efficiat in voluntate talem prædeterminationem, nam voluntas divina non plus operatur ad extra, neque aliter, quam velit; illa autem voluntas intentionis non est per seipsam operativa ad extra, neque ad hoc ponitur, sed ut ex vi illius applicentur media accommodata fini intento; ergo ex prædictis rationibus non repugnat Deum prædefinire hujusmodi actus et effectus; aliunde vero illa electio et prædefinitio est magis consentanea perfectioni providentiæ, præsertim in ordine gratiæ, et habet magnum fundamentum in Scripturis et Augustino; non est ergo neganda, ut in lib. 3 de Auxiliis latius probavi.

Præterea non placet in illa sententia, quod nullum auxilium præveniens admittat, quod possit esse et denominari efficax, nisi quatenus actu operatur cum auxilio concomitante.

Cum enim illi auctores non negent dari vocationem congruam, quam altam et secretam Augustinus appellavit, quam qui recipit certissime audit, discit, et convertitur, non video cur non debeat talis vocatio sub ea ratione efficax appellari, etiam ut vocatio, atque adeo ut auxilium præveniens est. Nam licet non habeat efficaciam prædeterminandi physice voluntatem, tamen est talis, talique modo datur, ut infallibiliter consecutur sit effectum a Deo prædefinitum, et ea ratione efficaciter intentum; ergo id satis superque est ut efficax appelletur, non tantum quando actu facit, sed etiam prius, quia infallibiliter effectura est. Unde autem et quomodo habent hoc auxilium ante efficaciam, explicuimus late in diet. lib. 3 de Auxiliis.

Absolute ergo respondetur ad illam octavam probationem, negando utramque sequelam. Quamvis enim Deus non prædeterminet physice liberum arbitrium in executione ipsa, nihilominus ordine intentionis potest præeligere hominem ad gloriam, et ad sanctitatem, et ad fidem, prædefiniendo etiam actus liberos necessarios ad hos effectus, prius ratione quam absolute præsciat illos esse futuros, quia ut talis intentio sit prudentissima et efficacissima, satis est quod Deus, in thesauris suæ sapientiæ et omnipotentiae, habeat vocationem congruam possibilem, quam si tribuere velit, infallibiliter prædefinitum effectum obtineat, et ita non tollitur prædestinatio aut prædefinitio liberorum actuum, eo quod negetur physica prædeterminatio. Et inde etiam facile constat hanc prædeterminationem, præfinitionem vel præelectionem ad gloriam facile intelligi posse sine respectu ad merita prævisa, et ad omnem bonum usum futurum cum auxilio gratiæ; quia talis electio antecedit, secundum rationem, voluntatem Dei, qua decrevit dare homini a se electo vocationem congruam et accommodatam tali electioni. Non ideo enim Deus eligit hominem, quia illum vocavit congruo modo; sed potius quia illum elegit ad gloriam, ideo sic vocavit juxta illud: *Quos prædestinavit hos et vocavit, et quos vocavit* (vocatione ex proposito, ut Augustinus loquitur, quam nos efficacem appellamus), *hos et sanctificavit*; et idem cum proportione est de qualibet alia prædefinitione actus liberi; nam illa est ratio volendi dare auxilium efficax et congruum ad actum definitum, et non e converso, nisi forte per modum finis, ut supra declaratum est. Quocirca prima discretio inter prædestina-

tos et reprobos fit in mente et voluntate Dei per singularem dilectionem et electionem gratuitam ad gloriam, juxta illud: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei misereantis*; in executione vero inchoat quidem etiam ex parte solius Dei, dando uni vocationem congruam, et non alteri, consummatur autem cooperante libero arbitrio, ut in superioribus satis explicatum est.

Capitulum, d. q. 2, concl. 2, § Sed contra.—Tertio vero ac principaliter instant defensores physicæ prædeterminationis, quia hic modus prævenientis auxilii efficacis vel congrui, quem nos ponimus ad salvandam prædestinationem et prædefiniendum actuum liberorum, et ad conciliandam efficaciam gratiæ prævenientis cum libero arbitrio, neque est possibilis, nec sufficiens. Prior pars probatur, quia tota illa efficacitas supponit scientiam quamdam mediam futurorum contingentium priorem decreto libero voluntatis divinæ de hujusmodi futuratione, quam nos Molina scientiam mediam appellavit, nos conditionatam ab objecto vocamus; hæc autem scientia incognita fuit antiquis Theologis, quia revera nulla est, nec esse potest. Primo, quia certitudo illius scientiæ, de his quæ homo faceret positus in tali ordine, secluso omni actu libero divinæ voluntatis, videtur fictio chimærica, nam per talem assertionem (ait hic auctor) subtrahitur a divina providentia et a divina voluntate aliquod ens et bonum, quod habet causam creatam, et illa ponitur in sua actione exempta et libera a Dei voluntate, quæ debet esse omnium causa, quæ extra Deum sunt bona. Secundo, quia sequitur objectum cognitum per illam scientiam dare certitudinem et infallibilitatem scientiæ Dei, quod est absurdum, alias Deus desumeret scientiam a rebus. Prima sequela probatur, quia per illam scientiam dicitur Deus solum scire id quod futurum est, si talis conditio ponatur; imo etiam ideo scire, quia futurum est, nec posse Deum de facto aliud scire quam quod liberum arbitrium facturum est; si autem liberum arbitrium facturum esset aliud, prout revera posset, Deum illud sciturum fuisse, et non id quod modo novit; ergo certitudo illius scientiæ a libero arbitrio pendet, et non a Deo; ergo accipit Deus certitudinem suæ scientiæ ab objecto creato, et ab eo pendet tanquam a mensura extrinseca. Tertio, quia, juxta illam sententiam, a creatura desumitur quod Deus hoc vel illud cognoscat, quod est absurdum;

et sequela patet, quia in potestate liberi arbitrii creati est facere quod Deus aliter cognoscat, quam scivit; non est autem in potestate Dei velle aliter scire quam liberum arbitrium operaturum sit. Quarto, quia illa conditionalis non potest sciri in vi illationis, sic enim potius esset falsa propositio, verbi gratia: Si homo tentatur, peccavit, quia consequens non sequitur necessario ex antecedenti; nec etiam cognosci potest ex comprehensione liberi arbitrii creati, tum quia illa comprehensio naturalis est Deo; ergo etiam illa scientia esset naturalis, et non media: tum maxime quia liberum arbitrium applicatum ad operandum cum quibuscumque circumstantiis vel conditionibus præviis semper manet indifferens ad nolendum et volendum; hoc enim nos maxime contendimus, et si oppositum nunc asseramus, nostram sententiam destruimus; ergo impossibile est liberum arbitrium, ratione talium circumstantiarum, determinari ad alteram partem necessario efficiendam; ergo impossibile est ex comprehensione illius, etiam cum talibus circumstantiis cogniti, præscire quid operaturum sit¹.

CAPUT XXXI.

EXPENDUNTUR SACRÆ SCRIPTURÆ TESTIMONIA QUÆ AB AUCTORIBUS UTRIVSQUE SENTENTIÆ AFFERUNTUR.

Ad expendendam efficaciam utrorumque testimoniorum, præ oculis habere oportet id quod in confesso est apud omnes auctores, neutram harum sententiarum expressæ et in propriis terminis in sacra Scriptura contineri, alias altera esset plane hæretica, et non esset verisimile Doctorum Catholicorum sententiam pro illa pugnare, invenirenturque in Scriptura sacra expressa verba, quibus expresse affirmaretur vel negaretur prævenientem gratiam Dei determinare physice, seu ex se, ac natura sua voluntatem humanam; vel e converso diceretur consistere in vocatione congrua, et non in tali determinatione. Nihil autem hujusmodi in sacra Scriptura reperiri certissimum est. Igitur testimonia omnia quæ in favorem utriusque sententiæ afferuntur, habent implicitam illationem aliquam, quam oportet maxime attendere, et vim ejus perspicere, ut uniuscujusque testimonii efficacitas intelligatur.

Doctores igitur, qui ex Scriptura suadere

¹ De responsione, quam istis desiderari verisimilius est, vide dicta in præfatione. C. B.

conantur dari auxilium per se efficax, et prædeterminans voluntatem, afferunt ea testimonia quæ commendant vel dependentiam voluntatis humanæ a divina in suis operationibus, vel efficacitatem divinæ virtutis in movenda voluntate humana; vel infallibilitatem providentiæ divinæ, in his quæ de operibus liberis hominum disponit; vel necessitatem prævenientis gratiæ ad supernaturalia opera, vel efficacitatem divini auxilii, non solum concomitantis, sed etiam prævenientis, quando ex absoluto decreto et intentione efficaci Dei datur, ut habeat effectum; vel gratuitam Dei dilectionem, et distributionem talis auxilii efficacis, quod sua voluntate præbet quibus vult, absque præviis meritis hominum. Vel denique testantur Deum facere opera nostra, et facere ut illa faciamus, et dare non solum posse, sed etiam velle et perficere pro sua voluntate. Ad quæ nos generatim dicimus Calvinum hæreticum his testimoniis abuti, ut suadeat voluntatem ita moveri a Deo in omnibus suis operibus, ut sua libertate uti non sinatur. Cui ipsimet Catholici Doctores respondent, perperam in patrocinium sui erroris talia testimonia congerere, quia Deus sapientia sua et potentia potest omnia illa efficere circa voluntatem humanam et opera ejus, nullam ei necessitatem vel coactionem imponendo; et alioqui eadem Scriptura aliis locis doceat Deum non privare hominem usu libertatis suæ in suis operibus, præsertim in illis quibus æternam vitam promeretur, vel etiam amittit. Eodem ergo modo nos respondemus male ex eisdem locis colligi auxilium vel motionem Dei, vi sua sola prædeterminantem hominis voluntatem, quia sine tali prædeterminatione facere potest Deus ea omnia quæ in locis illis proferuntur, et alioqui prædeterminatio illa voluntatis ad unum necessitas quædam esse videtur contraria libertati. Unde D. Augustinus illis locis contra Pelagianos utens, solum ex illis colligit necessitatem prævenientis gratiæ et vocationis congruæ, non autem auxilii ex se prædeterminantis. Sed jam ad singula loca descendamus.

Primum sit generale verbum Sapientis: *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud*, Proverb. 21.

Prima vero expositio hujus testimonii est, ut intelligatur de executione, non de electione voluntatis, ita ut dicatur cor regis esse in manu Dei, quia Deus potest impedire et evertere cogitationes et deliberationes ejus. Quod quidem

commune est omnibus hominibus, sed peculiariter ostendit potentiam Dei in regibus; quia illi eum supremam habeant potestatem, a solo Deo quodammodo pendent, qui solus potest eorum impetus retardare. Et ita favet lectio græca, nam ubi nos legimus, *divisiones aquarum*, græca habent, *sicut impetus aquarum*. Et comparatio est quod, sicut Deus habet in manu sua impetum aquæ, quem relinquere vel impedire potest, ita et impetum voluntatis regiæ. Huic vero expositioni obstant verba sequentia: *Et quocumque voluerit, inclinabit illud*, nam cordis inclinatio non executionem sed internam motionem significat. Nisi dicamus Deum, impediendo impetum voluntatis quoad executionem ejus, facile immutare internas deliberationes et inclinationes. Melius vero exponitur de voluntate ipsa, quæ etiam quoad electionem suam in manu Dei est. Sicque intellexit D. Thomas, prima parte, quæstione 83, artic. 3, ad tertium; exponit autem hoc esse dictum ratione essentialis dependentiæ, quam liberum arbitrium creatum habet a Deo, ut a prima causa, ratione cujus etiam reges, qui maxime videntur esse suæ voluntatis, nihil possunt velle nisi Deus voluerit cum eis concurrere et operari. Huic vero expositioni non recte aptantur verba posteriora. Nam illa dependentia est quantum ad actuale concursum, qui concomitanter se habet cum influxu voluntatis ad suum actum elicitum, et sufficit ut cor regis dicatur esse in manu Dei, tamen non videtur sufficere ut dicatur Deus inclinare cor regis quo voluerit, quia hoc pertinet ad motionem præviam, qua Deus ita inclinatur voluntatem hominis ut faciat eam velle quod ipse vult eam velle. Alii ergo non de essentiali dependentia in operando, sed de subordinatione et subjectione, quam cor regis debet habere ad divinam voluntatem, hunc locum interpretantur; quibus favet Hieronymus in id Jerem. 4: *Peribit cor regis*, ubi ita videtur exponere: Cor regis in manu Dei (supple) esse debet, id est, esse debet positum et resignatum in manu Dei, et ita voluntas Dei facile inclinabit illud quo voluerit. Sed videtur violenta vel voluntaria expositio, et non usitata, quia non fundatur in verbis, sed libere aliquid suppletur; et reliqua non in rigore et proprietate exponuntur. Concedo ergo sermonem esse de singulari Dei potestate ad inclinandam voluntatem hominum quo ipse vult, quæ potestas divina in corde regis tanquam in potentiore et liberiore declaratur. Dico tamen ibi nullum esse sermo-

nem de determinatione, sed de inclinatione voluntatis. Unde male ex hoc loco colligitur Deum prædeterminare aut necessitare hominis voluntatem, nam per motionem seu vocationem congruam, ita illam inclinare potest sine determinatione, ut infallibiliter velit homo quod Deus vult eum velle.

Solum superest difficultas, quia locutio illa Sapientis generalis est, et indifferens ad voluntates bonas et malas; non potest autem dici cor regis ita esse in manu Dei, ut illud inclinet ad voluntates malas; ergo. Fortasse ob hanc causam, aliqui non de omnibus regibus, sed de sanctis et prudentibus interpretati sunt. Sic Hieronymus, Ezech. 28, de bonis tantum regibus hunc locum exponit; et Daniel, 5, circa id: *Quos volebat interficiebat, et quos volebat percutiebat*, inquit Hieronymus: *Quod cum ita sit, querendum est quo sensu illud legatur: Cor regis in manu Dei, et quocumque voluerit, illud inclinabit*; quasi dicat: Quomodo ergo cor regis erat in manu Dei, vel: Quomodo Deus cor ejus in pravas illas et injustas actiones inclinabat? Et respondet: *Nisi forte sanctum quemque dicamus regem, cujus non regnet peccatum in mortali corpore, et cujus ideo servatur cor, quia in manu Dei*. Ubi non solum de omnibus regibus locum exponit, sed etiam per metaphoram, omnem virum sanctum nomine regis putat ibi significari. Quam sententiam secuti sunt Beda et Glossa ordinaria, ibi, et exponunt cor regis esse in manu Dei, quia in libera ejus voluntate sunt gratiarum dona, non minus quam divisiones aquarum. Unde dicunt: Deus, quocumque voluerit, cor regis inclinatur, quia divisiones gratiarum secundum voluntatem suam Angelis et hominibus tribuit, et corda sanctorum quibuscumque voluerit digna donationibus reddit. Verumtamen D. Augustinus, libro de Gratia et libero arbitrio, cap. 21, locum hunc universe interpretatur de inclinatione liberi arbitrii, tam ad bonum quam ad malum, nam quoad utramque est in manu Dei, et de utraque in bono et catholico sensu verum est, quod quocumque Deus voluerit, inclinabit illud. Et sine dubio est sensus magis consentaneus litteræ, quia ad litteram sermo ibi est de terreno ac temporali rege, nam licet cujuscumque hominis cor sit in manu Dei, tamen peculiariter hoc exaggeratur in corde regis propter ejus excellentiam et libertatem ab omni humana subjectione, et quia ab illo pendere solet totius populi salus, cumque sermo Sapientis

generalis sit, non est cur illum ad regem bonum limitemus. Præsertim, quia per illam sententiam insinuare voluit salutem aut perditionem reipublicæ, quæ ex regis deliberatione pendere videtur, multo magis in manu Dei esse, in qua ipsum regis cor existit, et quocumque voluerit, illud inclinatur. At vero verbum *inclinatur*, sicut non significat prædeterminationem ad bonum, ita multo minus indicat determinationem ad malum; imo nec de quocumque alio motionis genere, pari modo accipiendum est in bonis et in malis, sed cum debita proportionem. Nam ad bona inclinatur Deus directe et immediate, ac per seipsum agendo tam in intellectum quam in voluntatem regis; ad malum autem permissive tantum sinendo regem errare, decipi, ac labi, vel aliqua operando in cordibus eorum, quæ per se quædam bona sunt, regem autem ex malitia ejus inclinabunt ad malum, quod interdum cedat in populi perniciem, id permittente Deo propter peccata ejus. Quæ expositio sumitur ex doctrina Augustini, dicto libro de Gratia et libero arbitrio, cap. 20 et 21, ubi in hunc modum exponit varias Scripturarum locutiones, quas statim attingemus, nam illis etiam utuntur auctores physicæ prædeterminationis. Atque ipsa verba Sapientis hancmet intelligentiam præ se ferunt; dicit enim Deum inclinare cor regis quocumque voluerit. Solum ergo inclinatur Deus in id quod vult, vult autem simpliciter ac directe solum bonum, malum autem non vult simpliciter, sed vult illud permittente; ita ergo inclinatur directe ad bonum, ad malum autem permittendo aut sinendo tantum liberum arbitrium inclinari.

Secundum testimonium. — Atque ex interpretatione hujus loci constat, sine causa congeri multa alia in quibus dicitur Deus immutasse vel convertisse corda aliquorum hominum in hanc vel illam partem, in variis eventibus vel occasionibus. Secundo loco afferuntur verba Esther, cap. 49: *Transfer cor illius in odium hostis nostri*. Facile enim poterit Deus hoc facere sine physica prædeterminatione aut tali inflexione illius voluntatis regis, cui ipsa non possit resistere; imo etiam sine speciali auxilio pertinente ad supernaturalem ordinem gratiæ, cum tota illa voluntatis conversio esset infra politicum ordinem sine fide et sine supernaturali motivo aut elevatione. Potuit ergo fieri instruendo interius intellectum, et proponendo rationes quibus ostenderet indignationem illam Amani fuisse injustam, il-

lumque esse dignum odio justo, et inclinando affectum regis ad illud, hæc omnia ita operando prout novit Deus congruere ut haberet effectum. Imo si attente præcedentia verba Esther perpendantur, hunc motionis modum non obscure indicant; ait enim: *Tribue sermonem compositum in ore meo, in conspectu leonis, et transfer, etc.* Ideo enim petebat sermonem compositum, ut esset medium accommodatum et congruum ad commutandum cor Assueri. At si per physicam prædeterminationem mutatio fuisset facienda, quicumque sermo sufficeret, si Deus vellet determinare voluntatem. Dat autem Deus sermonem compositum non determinando liberum arbitrium, sed apta et accommodata verba pro loco et tempore offerendo; et si opus sit, organa ipsa vocis dirigendo, ut concinne et graviter verba pronuncient, et omnia etiam impedimenta præcavendo.

Tertium testimonium.—Tertium sumitur ex Esther 15: *Convertitque Deus cor regis in mansuetudinem, et festinans ac metuens, exiit de solio, etc.* Sed hic locus ejusdem rationis est cum præcedenti; quod enim ibi Esther petit, hic Deus præstitit; et non aliter convertit Deus cor Assueri, quam accommodando illi objecta et cogitationes seu apprehensiones eorum, et immittendo in voluntatem naturalem aliquem affectum, et convenientem dispositioni ejus, ut ita infallibiliter induceretur ad mutandum propositum, et reginæ consentiendum. Et ad hunc finem et motionis modum ordinatus est totus ille cultus et ornatus reginæ, et pavor ille ac timor majestatis reginæ usque ad virium defectum et quasi exanationem. Si enim per solam prædeterminationem mutanda esset voluntas regis, non oporteret eas circumstantias observare, quæ ipsum magis allicerent ac per moverent, sed, quacumque ratione præsentaretur illi objectum, Deus posset voluntatem ejus ad illud determinare; sed quia non ita Deus prædeterminat voluntatem, sed movet modo accommodato libertati, ideo tales observare circumstantias necesse est.

Quartum.—*Avil., c. 10 et 22.*—Quartum præcedentibus simile sumitur ex 2 Paralip. 30, ubi cum Ezechiel rex misisset nuntios ad convocandas tribus Israël ad celebrandum Phase, etc., cum aliquæ restitissent, de Juda dicitur: *In Juda vero facta est manus Domini, ut daret eis cor unum, ut facerent juxta præceptum regis. Manus Domini (ait quidam) efficacissimam operationem designat, non ad-*

monitionem ab humana voluntate pendentem. Itaque vel non vult illam populi consensionem fuisse actum a voluntate humana pendentem, sed immissam fuisse solius Dei efficacissima operatione, ut illa verba præ se ferunt; vel (ut mitius illa interpretemur) vult manum illam fuisse actionem quamdam solius Dei in totum illum populum, ex qua secuta est illa consensio independentem a voluntatibus eorum. Utrumque autem repugnat aut vitalitati actus, si illa independentia intelligatur ab omni efficientia voluntatis humanæ; aut libertati, si intelligatur de independentia a voluntate, id est, ab usu libertatis ejus. Certissimum est autem consensionem illam fuisse voluntariam, ac proinde effectam a voluntatibus humanis, et fuisse etiam liberam, cum fuerit pendens ab eisdem voluntatibus libere operantibus talem consensionem. Sed fortasse intelligit exclusive verba illa, *non ab humana voluntate pendentem*, id est non a sola illa. Sic enim alibi idem auctor, eumdem locum tractans, dixerat: *Ecce a filiis Juda petitur ut ad Deum convertantur, non tamen ipsa conversio soli suæ innatæ voluntati relinquatur.* At quis hoc negat, aut quis unquam dixit consensum gratiæ vocantis esse a sola voluntate. Fatemur esse a gratia et prævia operatione Dei, sed non sine dependentia a libertate voluntatis a Deo præventæ. Manus ergo Domini illa licet efficacem Dei motionem significet, non tamen talem quæ dependentiam a voluntate humana excludat, sed talem quæ, non obstante dependentia, traheret voluntatem in illum consensum, unamquamque vocando et inducendo modo illi congruo et accommodato; ita intellexit hunc locum Augustinus, lib. 1 contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 20, dum illum adducit, ut probet Deum prævenire corda hominum in operibus gratiæ, et per vocationem congruam illa efficaciter movere.

Quintum testimonium.—Juxta hæc facile intelliguntur verba Ezechielis 1 et 36, per quæ Deus promittit hominibus se daturum illis cor novum et spiritum novum; et ablaturum ab eis cor lapideum, et daturum cor carneum. Nam his et similibus verbis nihil aliud promittit Deus, nisi se daturum prævenientem gratiam, qua disponat et præparet voluntates hominum, ut tandem cum adjuvante gratia novum propositum detestandi peccata et placendi Deo concipiant. Hoc est enim cor novum, et hic est modus quo redditur homini facilis et delectabilis perfecta ad Deum con-

versio, quæ est optima cordis dispositio, quæ per metaphoram cordis carnei significatur. Sed sciendum dupliciter dari homini cor novum, spiritum novum et cor carneum, scilicet, in actu et in habitu, et utrumque facere Deum. Primum quidem media gratia auxiliante, cooperante illi libero arbitrio; secundum vero, infundendo habitus virtutum et gratiæ, vel sola sua virtute, vel mediis sacramentis. Si ergo locum illum exponamus de corde novo in actu, dicitur Deus illud dare, quia primarias partes habet in tali actu ratione gratiæ prævenientis et adjuvantis; non quia opus ipsum conversionis cordis solum sufficiat sine libera cooperatione liberi arbitrii, nec quia prius se solo ita determinet liberum arbitrium, ut ejus industria tollatur. Si autem intelligatur illa verba de corde novo in habitu, sic potest ejus effectio soli Deo tribui, quia solus infundit habitum. Tamen quatenus in adultis non fit illa infusio, nisi dependentem ab hominis dispositione libera, sic etiam non excludit liberam cooperationem liberi arbitrii. Et hoc est quod Deus significat, cum, mutata phrasi locutionis, ait per eumdem Prophetam, cap. 18: *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum.* Non est ergo hoc opus solius Dei determinantis voluntatem, sed ipsius etiam liberi arbitrii libere avertentis se ab impietate sua, et hoc modo animam suam vivificantis, ut ibidem dicitur. Ubi etiam talis aversio ab iniquitate non tribuitur soli determinationi divinæ, sed considerationi per quam solet liberum arbitrium determinari: *Considerans enim (ait), avertit se ab omnibus iniquitatibus suis, quæ operatus est.* Atque ita D. Augustinus, lib. de Gratia et libero arbitrio, cap. 19 et 45, hæc duo loca tractans, ex priori solum colligit Deum dare homini cor novum, non ex meritis ipsius hominis, sed per gratiam suam, qua hominem prævenit, ut ex corde lapideo faciat cor carneum, quod sine determinatione prævia per gratiam excitantem et cooperantem facere potest. Unde ex posteriori loco colligit, ita Deum hoc facere in nobis, ut licet solus incipiat, non tamen solus, nec sine nobis opus perficiat, quia non solus Deus dat, sed etiam homo facit sibi cor novum libertate sua cooperando gratiæ Dei.

Sextum testimonium.—Atque hinc facile explicantur alia verba ejusdem Prophetæ in eodem loco, quibus promittit Deus se facturum ut homines faciant: *Faciam (inquit) ut*

faciatis, et in præceptis meis ambuletis. Non enim potuit clarioribus verbis explicari efficacia divini auxilii de se determinantis voluntatem; nam si ipsa se determinat, potius ipsa facit ut Deus faciat, quam e contra; vel saltem si Deus expectat beneplacitum meum ut faciam, non facit ut faciam. Sed imprimis respondeo hæc verba a nullo Sanctorum Patrum esse intellecta de tali efficacia Dei, quæ prædeterminet voluntatem nostram ad consensum, ita ut liberum arbitrium non possit ei resistere. Quin potius D. Hieronymus, ibi, et S. Augustinus, lib. de Gratia et libero arbitrio, cap. 14, et libr. 18 contra Faustum, cap. 14, dicunt, prophetiam illam et promissionem de gratia novi Testamenti intelligi, quæ copiosissima est, et de se efficit ut nos faciamus, et in præceptis ejus ambulemus, quoniam hæc gratia non in omnibus habeat hunc effectum, sed multi ei resistunt. Non est ergo hic effectus gratiæ prædeterminantis; talis enim gratia, vel nulla est, vel certe non omnibus datur, imo neque omnibus offertur, ut auctores oppositæ sententiæ fatentur. Gratia autem quam Deus ibi promittit, generalis est legis novæ, et omnibus datur vel offertur quantum est ex parte Dei. Dices: talis gratia, etiam ante legem gratiæ, præveniens omnibus data est. Respondeo idem argumentum fieri posse de prædeterminatione; si enim illa necessaria est, semper et in omni tempore hominibus data est, illis, nimirum, qui quovis tempore ad Deum conversi sunt. Quamvis ergo aliqua præveniens gratia sufficiens semper fuerit a Deo data vel oblata, tamen ibi promittitur multiplex gratia propria legis novæ, qualis est gratia Sacramentorum, ut patet ex illis verbis: *Effundam super vos aquam mundam, etc.* Item abundantia auxilia Spiritus Sancti quæ in hoc tempore dantur; hoc enim significare videntur illa verba: *Ponam Spiritum meum in medio vestri, etc.*

Verba ergo illa: *Faciam ut faciatis*, non significant talem effectum, quæ prædeterminet physice voluntatem, sed inductionem moralem, quam per illuminationem et inspirationem Deus facit. Atque ita frequenter exponit Augustinus, quæstione 2 ad Simplicianum, libro de Spiritu et littera, cap. 33 et 34, et sæpe alias, et Scriptura etiam ita loquitur. Christus enim dicit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, quod non facimus determinando eorum voluntates ut nos ament, sed beneficiis eos attrahendo et inducendo